UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis, Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

In Festo Corporis Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53527

Visual Library

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Gratulor tibi, Deus, hîc in Sacramento amoris verè abſcondite de omnibus triumphis, atque deliciis, quibus exultâſti unquam, in viſitandis animabus, tibi placentibus, quæ te ore, & corde mundo unquam ſuſceperunt. O omnes Sancti, & Sanctæ Dei, quos ſingulari erga hoc amabile myſterium amore accendit Deus, præparate me: date frigido meo cordi vero igniculos de illo veſtro incendio. S. Catharina Senenſis, quæ, inter communicandum, igne, ac odore cæleſti perfuſa es; quæ idem ſanctiſſimum Sacramentum, inſtar ignis ardentis, vidiſti; impetra mihi ab illo amorem verum, non fucatum. Domine JESU, da, ut hoc Sacramentum ſit mihi amoris veri gymnaſium, qui me, me ipſo exutum, faciat quærere id, quod tibi placet; faciat tibi annuere, cùm aliquid inſpiras; faciat, ut negem mihi omnia, quæ dictat mihi amoris proprii inſtinctus: tu ſis alimentum amoris mei. Fac, ut amorem dolore acuam; dolore cordis, de ſocordiâ meâ tantâ; dolore corporis,

in carnis odio, amore tui ſuſcepto: fac, ut quicquid agam, agam id inſtinctu amoris tui; quò, ad recipiendam in hoc Sacramento tuam gratiam, ſemper magìs reddar idoneus. Utinam poſſem omnibus, quæ per Orbem terrarum fiunt, ſacrificiis intereſſe! Offero tibi omnia, quæ facta ſunt, quæve fient ſacrificia; & cogitationes meas omnes, verba, ac opera, illis conjuncta, tibi ſacrifico, imbuta pretioſo Sanguine cruenti ſacrificii tui, & meritis dulciſſimæ Virginis Matris tuæ, ac omnium Electorum; ut illis imbuantur, & permiſceantur, ſicut ſpongia in corde maris demerſa, ſicut aquæ gutta in dolio vini pretioſi, ſicut duo minuta æternis gazophylacii cæleſtis theſauris permixta; ídque totum deſidero è puro amoris tui motivo; quia dignus es, quia Deus es.

DIE DEDICATIONIS TEMPLI, *& infra Octavam.*

Sicut hiſce diebus anniverſaria templi hujus tui dedicatio inſtauratur; ita ego, novâ dedicatione me de integro tibi conſecro, Deus, *qui voluiſti templum tuum fieri in nobis.*